



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 115. An propositum obliget.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

fic post acceptationem erit contractus promissionis. Quòd si addatur certa interrogatio & responsio, erit stipulatio secundùm dicta n. 664. ita *Mol. Sanch. Less. Fill. Bonac.* cum *Onn.* d. 23. §. 1. Pendet autem à voluntate hominis, an quomodo velit se obligare, & communiter non præsumitur velle se obligare ex justitia, nisi addatur juramentum, aut faciat instrumentum, aut det aliquid in pignus vel assecurationem, sed censetur se solum obligasse ex alia virtute, quia in dubiis minimum est sequendum, secundùm dicta l. 1. n. 590., cum possessio sit pro libertate. *Lugo* d. 23. n. 93. alique communiter adfert quod *Onn.* à n. 100. multas conjecturas, unde colligi possit, fueritne animus obligandi se ex justitia an ex alia virtute, v. g. si promittit in circumstantiis, in quibus alii solent donare; item si quando promittebat, erat ita dispositus, ut rem donasset, si habuisset ad manum, præsumitur animus habuisse se obligandi ex justitia.

765 Q. 115. An propositum obliget. R. Dictum est p. 1. à n. 361.

Q. 116. An pollicitatio sive promissio ante acceptationem obliget. R. §. 1. Quamvis obligare possit ex honestate Constantiæ, uti l. c. dictum est, at tamen non obligat ex justitia, uti constat ex dictis n. 656., probantque fuse *Lugo* f. 3. & *Onn.* 3. & 4., Ratio est, quia licet aliquis possit suam solius voluntate dimittere dominium rei suæ, habendo pro derelictâ, tamen suam solius voluntate facere non potest alterum dominum rei suæ, cum ad acquirendum dominium requiratur in altero acceptatio legis sibi faventis contra alios, & licet fortè sufficiat tacita, uti si quis rem producat,